ei duo angeli hastati atque
scutati instar milicie cele-
stis se obtulerunt dicentes.
missos se a domino ut rusticam
multitudinem fugarent pre-
sidiumque martino ferrent.
ne quis dum templum diru-
eretur obsisteret. Rediret
ergo et opus ceptum devotus
impleret. Ita regressus ad
vicum inspectantibus genti-
lium turbis et quiescentibus
dum profanam edem usque
ad fundamenta dirueret
aras omnes atque simulacra
redegit in pulverem. Quo
viso rustici cum se intellig-
erent divino nutu obstupe-
factos atque perterritos ne
episcopo repugnarent omnes
fere in dominum ihesum crediderunt
clamantes palam et con-
fitentes deum martini colen-
dum. idola negligenda que
sibi adesse non possent
Quid etiam in pago eduo-
rum gestum sit referam
Ubi dum templum itidem
everteret furens gentilium
rusticorum in eum irruit mul-
titudo. Cumque unus audacior
ceteris stricto eum gladio pe-
teret. reiecto pallio nudam
cervicem percussuro prebuit
Nec cunctatus ferire gentilis
Sed cum dexteram altius ex-
tulisset resupinus ruit. Con-
sternatusque divino metu
veniam precabatur IX
Et dissimile huic fuit
illud cum eum idola de-
struentem cultro quidam fe-
rire voluisset in ipso ictu fer-
rum ei de manibus excussum
non comparuit. plerumque autem
contradicentibus sibi rusticis.
ne eorum fana destrueret
ita predicatione sancta gentilium
animos mitigabat. ut luce
eis veritatis ostensa ipsi
sua templa subverterent
Curationum vero tam po-
tens in eo gracia erat ut
nullus fere ad eum egrotus
accesserit qui non continuo
receperit sanitatem quod vel
ex consequenti liquebit
exemplo
Treveris puella quedam
dira paralisis egritu-
dine tenebatur. Ita ut iam
per multum temporis nullo
ad humanos usus corporis
officio fungeretur. omni ex
parte premortua vix te-
nui spiritu palpitabat. Tri-
stes ad sola funeris exequias: